

DISSERTATIONIS,
DE
BIBLIOTHECARIIS
ACADEMIÆ ABOËNSIS,

PARTICULA UNDECIMA.

QUAM,

ANN. AMPL. PHILOS. ORD. AURICO,

publico examini,

in Auditorio Philos. die xx Jun. a. MDCCCXXIII,

h. a. m. f.

PRÆSIDE

Mag. FREDR. WILH. PIPPING,

Hist. Litter. Prof. Publ. Ord. & Biblioth. Acad. Præfecto,

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS,

modeste subjicit

GUSTAVUS HENRICUS INGMAN,

Ostrobothniensis.

ABOÆ, typis FRENCKELLIANIS.

DISSERTATIONIS

PHYSIOLOGICAE

ACADEMIAE ABOVENSIS

PARTICULAE UNDECIMAE

DE

AN. ANTI. PULS. GR. ANTI.

CAUSIS

IN PULSATIONE PULS. GR. ANTI. A. ANTI.

CAUSIS

MR. FREDR. WILH. PIPING

MR. PULS. GR. ANTI. A. ANTI.

MR. ANTI. PULS. GR. ANTI.

MR. ANTI.

GUSTAVUS HERRICUS LINDNER

MR. ANTI.

ALOE, MR. ANTI.

VIRO PLURIMUM REVERENDO ATQUE
PRÆCLARISSIMO,

PRAEPOSITO HONORARIO,

PASTORI ECCLESIAE ÔSTERMARKIENSIS
MERITISSIMO,

NEC NON

MEDICINAE DOCTORI EXPERIENTISSIMO,

Dn. Mag. ABRAHAMO CAJANO,

Ayunculo Dilectissimo

Sacrum

D. V.

Devotissimus ex Matre Nepos
GUST. HENR. INGMAN.

THESES.

I.

Manifestus est Historiæ in Philosophia usus. Neque Philosophia Historiæ minorem præbet opem; quæ quidem maxime in factorum veritate examinanda et causis eventuum explorandis sese exferit.

II.

Attamen cavendum, ne in hac re peragenda vel ratiociniis vel hypothesebus nimis tribuamus. Nam hypotheses, in Historia, ut in Scientia Naturali, ad illustranda phænomena quamvis cum fructu adhibeantur, ad illas tamen confirmandas hæc perperam usurpare non licet.

III.

Ars scribendi alphabetica cum multis nominibus certe præferenda sit, non minus symbolicæ, quam charactericæ arbitraræ, quibus et olim usæ sunt, et hodie utuntur nationes admodum paucæ; haud dubitamus, quin Pallographia quoque, sive ars scribendi characteristica universalis, exigui omnino sit usus.

IV.

Vehementer eos errare, qui Scriptores antiquos classici linguæ tantum discendæ causa legendos putent, hosce diurna nocturnaque manu qui versaverit quisque, confiteatur necesse est.

1665, ANDREA THURONIO, viro ingenii felicissimi, iudicii acerrimi, doctrinæ uberrimæ, sollertiæque tam agendi quam cogitandi excellentissimæ, cujus æmulos liberalium artium palæstra hæc Auraica dignos nutrit admodum paucos (*ww*), fortuna Nostro propitior repente adspirare cœpit. Quasi deleta nempe offensionum pristinæ memoria, non tantum vicariam Facultati Philosophicæ commodare jussum est operam, in defuncti partibus tam legendo quam disputando, unacum Adjuncto secundo, Mag. PETRO LAURBECCHIO, ita, opinamur, sustinendis ponendam, ut suam uterque scientiam doctore ordinario orbatam, Physicam scilicet alter, alter Logicam, traderet, sed decreta etiam munerum, quæ juncta aliquamdiu gesserat THURONIUS, separatione, utpote rationibus Academiæ et studiosæ inprimis juventutis maxime conductura, PETRÆUS, non minus eorum quæ Secretarius, Adjunctus et Bibliothecarius præstitit, quam Regiæ Majestatis Cancellariique votorum consentientium ratione habita, et Facultati eidem nullo pacto prætereundus, et Consistorio dignissimus visus est, qui primus omnium vacuas has sedes petentium, et quidem solus, Regi per Cancellarium sisteretur, Physices Professor ordinarius nominan-

P

minan-

Acad. communicata, Protoc. Conf. d. 26 Apr. (alterutri horum locorum lapsu calami error dici obrepfit) 3 Maji, 1, 6 Jul. & 10 Nov. e. a. nec non Libellus Consistorii, S. Regiæ Majestati a. 1666 eo consilio exhibitus, ut aliquod ejusdem generis beneficium Regium JUSTANDRO annueretur, in prototypis litterarum aa. 1640—1689 exflans.

ww) Pars manca, pars quoque falsa quamvis sit eorum, quæ de hoc viro narrant STJERNMAN, in *Aboa Literata*, et HAMMARSKÖLD, libro *Historiska Anteckningar, rörande Fortgången och Utvecklingen af det Filosofiska Studium i Sverige*, digna tamen sunt quæ legantur. Quibus igitur ducibus vitam ejus contemplaturos, data hac occasione, erroribus ut præripiatur locus, monendos duximus, Lauream Philosophicam cinctum fuisse THURONIUM a. 1653, Professorem Logicæ factum 1657, et simul Physices a. 1660.

minandus, duobus in electione altera propositis, ut quorum alterutri Profesio Logices cederet (xx). — Injunctum ambientium cuique horum a Consistorio Academico d. 20 Sept. anni proxime dicti officium, publice disputando Constitutionibus Academicis quamprimum satisfaciendi, quo specimine quandoque perfolverit PETRÆUS, nullam hoc anno editam ejus dissertationem notam habentes nos omnino latet; nec a fide plane alienum censemus, patratum non esse jussum, cujus plurima evanuerat vis, suo cuique loco jam designato præfinitoque rei peragendæ quoque ordine. Cujus absolvendæ moram saltem Cancellario injectam hinc non fuisse longam, testantur Litteræ ejus, Holmiæ d. 3 Nov. e. a. datæ, quibus, novorum Professorum Physices atque Logices nominationem Consistorio nuntiaturis, Regia utriusque Diplomata adjuncta jam erant (yy); horum autem in recensione cum omisus sit nomina-

xx) Cfr. Protoc. Consist. Acad. dd. 13, 20 Sept. a. 1665, Litteræ Professoris JUSTANDRI, Decani, nomine collegii philosophici in fidem electionis d. 19 Sept. exaratae, et Consistorii illæ ad Cancellarium d. 23 Sept. e. a. missæ. E Prot. d. 28 Sept. ad verbum excerpentes suffragium Procancellarii, Doct. JOH. GEZELII, Sen., gratiæ qua apud Illustrissimum Cancellarium plurimum valuit PETRÆUS, testimonium certissimum, operæ pretium facturi nobis vili sumus. Quod ita sonat: "Alla åro migh obekanta, veet förden-skull inthet uthan det iagh hördt hafver. *M. Petræi promotion lö-ker Cancellarius Acad. högt, det iagh förnam tå iagh var i Stoc-holm, och sedermeta aff Cancellarij breeff om M. Petræo, om nå-gon sätties i Election medh Petræo, står den vist tillbaka, tycker förden-skull migh att M. Petræus årnas till Prof. Phys. allena.*"

yy) Ex voto Senatus Acad. aliquantum tractam rem, quæ longiorem non pateretur dilationem, se non potuisse quin ad Regem tandem referret decidendam, rescribens Cancellarius, nonnihil spatii, disputationes forte edituris necessariis, datum quidem indicasse videtur; sed brevissimam expectationem eam commemoratione vix dignam concedat, credimus, qui mense tantum interjecto responsum episto-læ suæ tulisse Consistorium perpenderit.

minationis dies, ipsis nunquam visis conjectura tantum assequi licuit Octobrem mensē, quo Physices Professor Regius atque Ordinarius constitutus sit PETRÆUS.

Sacris publicis auspicandi muneris, quando ipsi opportunum foret, potestate novo Profesori data, sollempnia hæc anno sequenti 1666, d. 13 Martii, cæremoniis ritūque majorum more receptis peracta sunt, legendique initium octiduo serius factum, hora matutina VII:a, immo VI:a diebus Veneris, ne a precibus in templo publicis discēntium cohors impediretur (zz). Viduæ autem antecessoris, SARÆ MEISNER, proxime commemoratis Cancellarii Litteris cum reservatus esset, volvente anno gratiæ (aaa), plenus salarii duplicis marito antea concessi usus, nec ordinarium Profesoris Stipendium, nec cæteras muneris dotes, ante annum 1667 Nostro percipere licuit, Thaleris C tantum argenteis, præter salarium Bibliothecarii, e Fisco Academiæ pro annuo labore interea compensato (bbb). — De administratione Bibliothecæ decedendi moram et hæc eadem res quandam, et longiorem attulere tam expectatio successoris, qui a Consistorio quidem d. 15 Nov. a. 1665 jam electus, confirmatione tamen Illustrissimi Cancellarii ante d. 21 Aug. a. sequentis munitus non fuit, quam rationes Bibliothecæ, eum in ordinem sine dubio ante discesum redigendæ, quo

P 2

maxi-

zz) Prot. Consist. Acad. dd. 7 Febr. et 7 Mart. a. 1666.

aaa) Rebus viduæ afflictis consulere studens Consistorium Academicum, scripto d. 28 Octobr. a. 1665 signato Cancellarium suum supplex adiit, petens ut roganti illi vel alterum in annum prorogaretur relicti Profesorum vulgo concessa gratia, vel alio quodam beneficio augetur; sed incasum, aliter cum ante adventum scripti huius sancitum jam esset.

bbb) Prot. Conf. Acad. dd. 7 Febr. 7, 28 Mart. XI Apr. et 23 Maji a. 1666.

maxime opus erat libris in alias manus transiuris. Instando autem tandem evicit succesor futurus, Mag. PETRUS LAUR-BECCHIUS, ut nondum accepta confirmatione illa, præsentibus attentæ inquisitionis testibus Bibliothecæ Inspectoribus ejus anni ambobus, thesaurus hic mense Majo a. 1666 sibi traderetur (*ccc*). Desuisse tum libros nonnullos testantur Acta, sed Bibliothecarium decedentem haud defecisse argumenta, quibus culpa se exsolveret, in confesso simul est (*ddd*).

Novum jam vitæ stadium, Profesoris Physicæ vel Philosophiæ Naturalis, quæ Physiologia quoque vocari olim suevit, officio suscepto initum, perlustrantibus nobis tot obvenerunt a recta semita aberrationes, tot alienarum a mente literarum studiis apprime intenta curarum gestiones, tanta animorum, invidia, iracundia, immo nullo non privato affectu, exardescentium, contentio, ut quo longius a carcere ventum, eo velocius PETRÆUM effugerit spes, sine offensione ad metam perveniendi. Hominem, muneris partibus suarum rerum curam nullo non tempore præponentem, in turbulento adeo vitæ articulo tantaque omnium implicatione illis gerendis nonnisi perfusoriam dare potuisse operam, nemini non ad intelligendum est pronum. — Scientiæ quidem, quam profitemdam sumserat, faciem, illa ætate apud nos præprimis vulgarem contemplantes, senium referentem Philosophiæ Scholasticæ, qua, inani systematis ædificio mirifice delectata, ad dialecticas tricas devolutum erat naturæ studium, fundamento carens idoneo, adeoque portas superstitioni haud raro pandens, nova principia divulgari cœpta amplectentem PETRÆUM, minime culpandum, quin potius de meliore nota commendandum censemus, quod inveteratas opiniones deferens, firmam vulgi

ccc) Prot. Confist. Acad. dd. 21, 28 Mart. 9, 16 Maji a. 1666.

ddd) Prot. Conf. Ac. dd. 23 Maji a. 1666 et 12 Jun. sequentis.

vulgi iudicio frontem porrigere ausus sit (*eee*). Dolendum etiam quamvis sit, a sobria Philosophia, duce JOH. AM. COMENIO, rectæ ipso haud gnaro viæ, nec perspicaci satis Philosopho, utut laudabili ad opinionum commenta quævis delenda melioraque promovenda studio ducto, discessisse Nostrum; haud tamen miramur, perpennes quantum auctoritatis ubique haberet olim, emendata pueros instituendi arte clarissimum exemplum Philosophi illius Moraviensis, cujus multum his etiam oris nomen eo tempore erat. Neque facile persuadere nobis possumus, novitate disciplinæ alienatos fuisse, ut perhibetur, a PETRÆO Studioforum animos, cum junioribus nova acceptissima vulgò sint, sed seniorum sugillantium iudicio stetitse putamus, si qui essent, principia ejus physica in dubium vocantes, quamvis cæterum a culpa omni liberare non possumus doctorem, ab ipsis primordiis fere invisum discipulis (*fff*). Quemadmodum autem offensionis maximum habet culpa, ut
 minime

eee) In Prot. Conf. Acad. d. 27 Mart. a. 1667 hæc leguntur: "Tal-te Rector huru Studiofi vilia öfvergifva Prof. Phys. Lektioner, efter han har nya Principia, såsom Massem, Lucem och Spiritum, efter Comænum. Resol. at han skal blifva af Decano tilltolter." Cfr. Tidningar utgifne af et Sällskap i Åbo, år 1783, pag. 140.

fff) Inter alia unde PETRÆUM nullam apud discipulos iniisse elucet gratiam, insignis est ipsius in Prot. Conf. Acad. d. 26 Apr. a. 1676 occurrens confessio, ex qua, quamvis subreptitia et ad acerbitatem objurgationis leniendam, qua collegam, Profesorem Theologiæ PETRUM BÅNG, asperæ nimis tractationis accusaverat, proprie exhibita, iudicio haud ancipiti cogitur, ipso inaugurali die infectionibus quorundam petitum fuisse novum Physices Profesorem. Locum heic habes: "Doct. Bång badh Mr Petræum förklara sigh på det bref han honom hafver tillskrifvit, då excuserade sigh Petræus, det han mente med omilda händer, dhe Studenten som achtade efter honom, då han introducerades." De causa ipsa BÅNGIUM inter et PETRÆUM, pluribus infra.

minime ignorantia aut errore peccatum sit, ita minoris habitavit novitatis reprehensione hac, roxæ tamen, ex incuria, malevolentia, et inquietudine mentis, disensionibus atque turbis gaudentis, profectæ gratiam facientes nullam, non possumus, quin majorem concedamus vim inculcationi leviter deserti officii, in quam eo sæpius incidit PETRÆUS, quo magis in auctoritatem suam adduxisse sibi eos videretur, quorum sententia res Academicæ dijudicarentur. Perenni simultate incensis singularibus quorundam, Nostrum nunquam non increpantium, odiis exaggerata quidem, immo provocata haud raro, fuisse peccata ejus, nulli negamus; sed ab officii religione sæpius impudentiusque declinantem ipsum objurgationis justitiam admisisse, confiteri simul fas est. Nec enim negligentiae culpa vacare potuit, qui publico muneri colendo domestica et privata quævis anteponens negotia, omnis in his fuit, a loco diutius haud raro absens, relicta quamplurimum aliis tota illius molestia, neque improbitatis parum habuit audacia, consummatæ eruditioni, diligentiae intentiori atque integritati probatæ debita, lautiora, sibi postulando præmia, ignaviam quo majori gerendorum onere, eo graviore intermislorum delicto obruens. Argumenta judicii hujus Lecturis subministrabit vitæ cursus continuatus, veritatem probabit expositio rerum ipsarum.

Tranquilliore, ut supra narravimus, serenitate illustratos ultimos, in Bibliothecæ præfectura exactos annos, qui subsecuti sunt sex primos in juventutem Academicam cognitione physica imbuendam impendendorum, placidiores itidem nec ullis vel factorum eventibus vel fortunæ casibus memorabilioribus distinctos, festinante transilientes calamo, ad ea properamus tempora, quibus sentiendi et agendi ratio animique indoles Nostræ, factis probatæ, ita eminuerunt, ut quid homini quidve forti tribuendum, perpendenti nemini dubium sit. Carbone igitur primum notandus est annus 1671, quo Holmiam pro-

profectus, jura quippe judiciis domesticis sibi negata requisiturus quædam, procelloso eo se commisit æquori, non tantum vadis litium notis, sed nullius non occultæ velitationis, machinationis, ambitionis, novarum rerum molitionis, discordiæ iracundiæque scopulis referto, unde salva puppe in portum redeundi spem prudentiæ vel consideratissimæ, multo magis temeritati, in fluctibus non secus ac in diversorio peropportuno quiescenti, periculorum multitudo non potuit non abscindere. Lites vel aliis intendens, vel ipse contestatus, plurimas easque ut minoris plerumque æstimatas, ita levioris et ad rixas proni animi indicia forte habendas, annon existimationi famæque suæ parum consuluerit **PETRÆUS**, hujus non est loci decernere; observandum autem, ab hoc maxime tempore dicendis causis adeo irretitum, ut in jure perpetuo fere hæserit, publici officii turpiter neglecti culpæ succubuisse.

Holmiæ agendæ causæ illius naturam, deficientibus certioribus ejusdem notis, definire non possumus; privatæ autem originis fuisse liquet, iniquiori quamvis legum interpretatione cum in discrimen vocatum videretur jus Academiæ causas suorum quasvis cognoscendi decidendique, pro se dicens **PETRÆUS** litem facere voluerit Academicam (*ggg*). Justa igitur quærendi adest ratio, quo pacto illi facile adeo licuerit salutem publicam propter suam utilitatem deferere, ut bienni absentia cunctanter admodum non in jure solum, sed hæreditatis partitione negotiisque familiaribus atque domesticis variis, per diversa Sveciæ loca res suas agenti (*hhh*), reditus nunquam

ggg) Consistorium etiam eo adduxit, ut C Thalerorum subsidium iter ingresuro polliceretur, supplicibusque libellis et Cancellario et S. Regiæ Majestati causam ejus commendaret. Cfr. Prot. Conf. Acad. dd. 8 Febr. 17, 21 Jun. et 22 Nov. a. 1671, atque 30 Mart. et 19 Oct. a. 1672.

hhh) Protoc. Conf. Acad. d. 19 Oct. a. 1672. — Bona, mortuo nu-

quam dicto, sed de die in diem patienter expectato tempore, succurrere grave haud duxerit Senatus Academicus, Poëseos Professore Mag. PETRO LAURBECCHIO vices ejus, exiguo admodum CC Thalerorum Cupreor. præmio annuo præstandas, tradens (iii), benevolentiaëque gratuitaë eo usque procedens, ut parum abfuerit quin, emolumenta vi Constitutionum Academicarum sibi ratione officii cesura, præfidenti animo Norcopiæ d. 31 Mart. a. 1673 scripta epistola poscenti, Rectoratum quoque ejus anni decerneret (kkk).

Ad patrios lares ineunte æstate a. 1673 tandem reversi, Sacrumque verbi Divini ministrorum in ordinem die 7 Jun. cooptati animum viresque, novis iisque laboriosissimis recens suscepti officii gravissimi partibus intentas, spartæ Academicæ rite obeundæ eo minus sufficere potuisse, quo fervidiorè opera jam amplectenda esset disciplina physica, longa ejus absentia desolata, manifestum est; accedentibus igitur præterea multarum rerum, quæ homini commodi sui studiosissimo non potuerunt non cordi esse, sollicitudinibus, longius et a litterarum et a recti studio avocatum fuisse, quam ut, asperiore indies facta via difficultatumque aucta mole, redeundi affulgeret spes, mirum neque ulli videri potest. Socero suo, Mag. MARTINO STÖDIO, Theologiæ olim in Academia Aboënsi Professore, jam Emerito et hoc nomine sibi reservatæ Annexæ Nondalensis Pastori, octogenario, laboribus curisque ecclesiasticis sustinendis jam impari, ut vicariam præberet operam, sacerdotalem ambiens dignitatem, Ecclesiastes constitutus est Gratiaëvallis; suspi-

per avunculo CAR. POMERENING, hereditate sibi cedentia obiturus, Norcopiæ certe aliquamdiu distinebatur.

(iii) Prot. Confist. Acad. dd. 22 Nov. a. 1671, 17 Jul. 27 Nov. 1672, et 5 Febr. atque 28 Mæji 1673.

(kkk) Prot. Conf. Acad. d. 10 Mæji a. 1673.